



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XLIV. Consideratur Jesus, quare spinis coronari voluerit, & in cruce cum eadem spinea corona mori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

*Iſa. 50. 6.* Iſaiam dixit: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Attende hæc verba & invenies, non alteram tantum maxillam percutienti præbuiſſe, ſed utramque, imò ſe totum.

*Act. 22. 35.* S. Paulus excepit contra ſententiam injuſtam, & appellavit ad Cæſarem: *Cum aſtrinxiſſent eum loris, dicit aſtanti Centurioni Paulus: ſi hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?* Non excepit Chriſtus contra ſententiam injuſtiſſimam, licet tanquam Dei Filius hoc privilegium potuiſſet prætere, ſed generoſo animo dixit: *Quoniam inſtilla paratus ſum.* Audi pro coronide hujus conſiderationis S. Auguſtinum, qui refert, quòd in iſta diriffima flagellatione Filii Dei unus militum diritate ſuppliciorum licetorum motus, accurrerit, & inſclamaverit: *Nunquid interficetis eum non judicatum?* Et ubi hæc dixit, vincula, quibus ad columnam ſtringebatur, præſecuit; ad quod pientiffimus Jeſus prolapſus in terram, in proprio ſanguine volutatus eſt, imò & pedibus impiorum proculcatus; ita devotiſſimus Juſtus Orgelitanus in caput. Canticorum ſupra illa verba: *Botrus cypri dilectus, ſic inquit: Chriſtum in modum botri conculcaverunt, & ſub pedibus preſſerunt.* O anime miſerum Jeſum pro te ſic flagellatum cogitas, noli impoſterum corpus tuum tam molliter & delicatè tractare.



## CONSIDERATIO XLIV.

Conſideratur Crucifixus JESUS, quare cum corona ſpinea in cruce vivere, & cum ea mori voluerit?

*Plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus.*  
*Jo. 19. 2.*

I.

*Prod. 3. 7.* **B**Enigniffimus DEUS & univerſorum Dominus, ubi populum ſuum de tyrannide & graviffimo Pharaonis jugo liberare voluit, non dedignatus eſt Moyſi ſervo ſuo in ſpinoſo & ardente rubo apparere, ad quem dixit: *Vidi afflictionem populi mei* ---  
*deſcen-*

descendit, ut liberem eum. O grande prodigium DEUS inter spinas, & in cruce inter duos latrones! Sed adverte: Tunc DEUS in veteri testamento nec à flamma, nec à spinis passus est, quia pati non poterat; igitur naturam humanam assumpsit, ut ostenderet quantum sibi cordi esset nostra à servitute demonis liberatio; unde succensus charitatis igne non solum in pratorio Pilati & in foro, sed etiam in cruce horridam spinis coronam constanter usque ad mortem gestare voluit; ita S. Birgitta: *Coronam de spinis, quam deposuerant de capite ejus, cum crucifigeretur, iterum adaptarunt capiti suo sacratissimo &c.* Ita & Tertullianus & Lib. 7. c. 15. ferè omnes alii, cum qua spinea corona & vivere & mori voluit, ut maledictum Adami solveret: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Audi S. Cyrillum Hierosolymitanum: *Accepit sententiam Adam, maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos adferet tibi.* Pro-tech. 13. pterea JESUS accepit spinas, ut solvat hanc maledictionem. O abyssum amoris divini!

2. Hic adimpletum fuit illud, quando Abraham Patriarcha loco Isaac filii sui victimam spinis coronatam DEO obtulit: *Elevavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres harentem, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Supra quod S. Athanasius: *Aries iste, qui in Sabec harebat ad plantam, figurabat Christum pro nobis in cruce immolatum.* Et S. Hieronymus: *Isaac manu Angeli fuit liberatus, sed aries inter vepres fuit mactatus: Sic humanitas Christi inter vepres peccatorum nostrorum est passa; in quo sacrificio Abraham non obscure prævicit ex figurante figuratum;* ita Simon Cassianus: *Inter spinas harentem cornubus arietem vidit Abraham, in qua visione Christum anigmaticè spinis coronatum aspexit.*

3. Quòd Jonas typus fuerit Christi patientis & crucifixi, ipsa veritas declaravit, cum enim gens Hebræorum signum ab eo peteret, non aliud respondit: *Signum non dabitur ei, nisi signum Jona Propheta, qui cum in ventre pisces in mari Mediterraneo nataret, clamavit de tribulatione sua ad Dominum: Pelagus operuit caput meum.* Jonas, quid dicis? nunquid totus, & toto corpore eras in mari, imò & in abyssomaris? quare ergo solummodò de capite tuo conquestus es: *Pelagus operuit caput meum?* R. Versio Tygurina: *Carectum implicitum est capiti meo, cujus spinæ, ait Mansius, tantum puncturis suis afferunt dolorem, ut merito dici possit: Magna est velut mare contritio tua.* Ecce spinea corona erat crucifixo JESU quasi pelagus dolorum; unde S. Vincentius Ferrerius: *Quis satis cogitare potest, quantus dolor venerandum illud caput tot aculeis confixum affecerit, cum nos vel ad unius spina puncturam intolerabili dolore vexemus?*

Ita explic. S.  
Sindonis e.  
13. a. 1.

Psal. 37. 5.

Psal. 117. 12.

Mallon, c. 12.  
a. 21.

Jo. 19. 14.

Apoc. 19. 16.

Daniel Mallonius in sacra Sindone, tanquam testis ocularis, duas supra septuaginta sanguinis guttas satis magnas enumeravit, quas a spinea corona extractas adhuc hodie Turini in Sabaudia aperta conjectura demonstrat. Transfixerunt quidem ferrei clavi manus & pedes JESU, dorsum dilacerarunt & cruentarunt flagra, genas inflicta alapa, sputa divinam faciem, corpus constrinxerunt funes & catena; sed corona acutissimis spinis referta, & adinstar pilei bis sacrosancto capiti imposta summum supra ceteros dolores amantissimo Salvatore nostro addidit dolorem, ubi revera dicere poterat: *Iniquitates vestrae supergressa sunt caput meum, & sicut onus grave gravata sunt super me.*

4. David inter tot persecutiones ac tribulationes ad DEUM suspirabat: *Circumdederunt me sicut apes. & exarserunt sicut ignis in spinis.* In Christo Davidis filio hoc completum est, ubi in passione & in cruce copiosum ac mordacissimum inimicorum apum examen in eum involavit, quod velut ignis in spinis stridorem & fragorem edens, caput illius acutissimis & venenatis aculeis suis perforavit, & aculeos suos infixos in divino illius capite reliquit, quæ dolorosissima Mater ejus, eum de ligno crucis deponeretur dulcissimus Filius, non sine vulneribus & cruentatione manuum collegit, & sic in veritate illud impletum est: *Sanguis sanguinem tetigit.* Regia Virgo, subintrat hic Mallonius, doloribus plena, lacrymis profusa, Filium de cruce depositum ulnis excepit, spinosumque Filii caput suo sinu complectens, spineam coronam à Filii capite propriis manibus revulsit, ut punctationibus B. V. manus lacerarentur. O Christiane! quis non moveatur ad lacrymas, si talem ac tantam Matrem contemplatur, regium sed spinosissimum diadema è capite Filii sui extrahentem? Interea tu coronari vis rosis, & tuas sectari voluptates ac delicias corporis? Audésne te dicere Christianum & membrum sub hoc spinoso capite?

5. *Ecce Rex vester*, proclamavit quondam Pilatus iudex Romanus ad populum Hebræorum tunc ad perdendum JESUM in pratorio, & in platea Hierosolymæ congregatum: *Ecce Rex vester*, ubi in probrum affectati regni horrenda & spinea redimitum coronam, totoque corpore ob durissimam flagellationem cruentatum, eum in medium produxit: *Ecce Rex vester.*

Clamo & ego hodie in die Parasceves ad populum Christianum, proferens vobis salutis signum, hoc est, crucifixi JESU Regis vestri luctuosam effigiem: *Ecce Rex vester*, non clarus imperio, sed plenus opprobrio, non aureo sed spineo diademate coronatum: *Ecce Rex vester!* O qualis Rex: *Rex Regum & Dominus dominantium:* Agnoscite vel ex hoc miserabili habitu Regem vestrum, & coram illo vos animatus pro-

prosternite, salutantes illum verbis Ecclesiæ: *Ave Rex noster, tu solus nostros es miseratus errores &c.* Invito ad hoc luctuosissimum spectaculum omnes Angelos & creaturas universas ad illum adorandum: Adorent eum omnes Angeli ejus: Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psallamundicat nomini tuo, quia dignus est agnus, qui occisus, ah occisus est pro vestra, omniumque salute: *Unus pro omnibus.* Venite; adoremus eum; procidamus ante faciem ejus, & ploremus coram Domino, quia ipse est Dominus Deus noster. Et hic occisus?

6. Nota est illa parabola, in qua arbores inter sese convenientes sibi Regem voluerunt constituere. Recusavit hanc dignitatem ficus, vitis & oliva, oblatumque sibi Regnum rhamnus lubens, volens accepit: *Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite.* Judic. 9. 15. Cæterum in figura hæc illis contingebant, fuit autem hæc parabola adimpleta, quando Rex Regum primò in prætorio Pilati, & exinde secundò in cruce spinis coronatus est; cui superimposuerunt regium titulum: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum;* quæ corona spinea adeò validè sacratissimo capiti JESU impressa fuit, ut usque ad cerebrum & medietatem frontis penetraret: *Tam vehementer caput Filii mei pupugit,* dicebat B. Virgo ad S. Birgittam, *ut ex sanguine fluente repleten.* Revel. S. Birg. l. 4. c. 40. *tur oculi ejus, & obstruerentur aures, & barba tota decurrente sanguine deturpetur;* nec ipse me astantem ad crucem videre potuit. Ite nunc impii & tepidi Christiani; ite, & cum sceleratis istis in libro Sapientiæ annotatis, vos rosas coronate: *Coronemus nos rosas, antequàm marcescant, nullum pratum sit,* Sap. 2. 8. *quod non pertransseat luxuria nostra;* Sed videbitis aliquando in fine, quod rhamnus prædixit: *Si autem non vultis, egredietur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.* Judic. 9. 15. Subintrat hic Clemens Alexandrinus: *Tunc acerbior* Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 8. *hæc erit castigatio, cum de rhamno egredietur ignis, ignis, inquam, ille, de quo Christus: Ite in ignem æternum.*

7. O dolorosissime JESU! quod cor tam durum, tam lapideum, quod non scindatur, si dolores & angores tuos piâ mente considerat: *Quantum ad recubitum,* ait S. Laurentius Justinianus, *non habuisti, ubi caput tuum reclinares: imò corona spinea fuit pulvinar tuum.* Hic sanè, si unquam aliàs, *Verbum Dei cecidit in spinas, & simul exorta spinæ suffocaverunt illud.* Laur. Just. de incend. div. nor. c. 4. Luc. 8. 7. Cant. 2. 2. Rup. hic. Hic adimpletum est illud: *Sicut lilium inter spinas.* Per hoc lilium, ait Rupertus Abbas, designatus est Christus, quando toleravit tot & tantas impiorum blasphemias, probra, alapas, flagella, coronam spineam, crucem &c. Et sicut lilium spinis transixum suavius olet, odoremque suum latius diffundit, unde lemma: *Transixum suavius.* Sic & Crucifixus Dominus spinis coronatus odorem suum per universum terrarum orbem spargit, sub quo spinoso capite omnes sanctæ ac piæ

*Gimther Unus pro omnibus.*

Y

animæ

animæ securè quiescunt. Hic denique adimpletum est illustre illud  
 Ezech. 30. 31. Ezechielis vaticinium: *Quasi de eis virum, qui interponeret sepem pro terra,  
 ne dissiparem eam.* Ecce post tot annorum millia apparuit ille vir pen-  
 dens in ligno in medio terræ, & portans coronam spineam, hic, in-  
 quam, interposuit sepem, quâ vallavit vineam, Ecclesiam suam, ne  
 Deus dissiparet eam, sub hoc ergo spinoso capite & vivere volu-  
 mus, & mori desideramus, *ut detur nobis corona gloria.*



## CONSIDERATIO XLV.

Veritas à Christo semper defensa, & præ-  
 dicata, cum tandem ad necem crucis promovit,  
 ac condemnavit.

*Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut te-  
 stimonium perhibeam veritati. Jo. 18 37.*

I.

**D**Arius Rex, & centum ac viginti septem provinciarum Domi-  
 nus fecit Magnatibus suis cœnam magnam; & cum obdor-  
 mivisset, disputarunt tres juvenes corporis illius custodes su-  
 per hoc problema: Quidnam in orbe fortissimum, num vi-  
 num, Rex, mulier, an veritas? Scripserunt omnes suam sen-  
 tentiam, scriptamque cervicali Regis supposuerunt. Rex ubi evigila-  
 vit curiosè illorum perlegit opiniones, subrisit, sapientes vocavit,  
 sententiarum rationes audivit, inter quas solemni cum plausu appro-  
 bata est sententia Zorobabelis Judæi: *Super omnia vincit veritas.*

Esdrae 3. 12.

Jo. 14. 16.

Ita est: Super omnia vincit veritas: Hæc Veritas Christus est,  
 qui de se ipso ait: *Ego sum via, & veritas & vita;* Et licet nebula sub-  
 inde manè solem obscurare soleat, eluctatur tamen & omnia illa aëris  
 impedimenta dirumpit, quæ ipsum obvelabant. An non Christus  
 sol justitiæ in vita ac præsertim in passione obvelatus fuit densis ad-  
 versariorum nubibus? eluctavit tamen in die resurrectionis: *Super  
 omnia vincit veritas.*

2. Vo-